Egregio et eximio viro D. Georgio Maiori
Sacrae Theologiae Doctori amico suo et
fratri in Christo Chariss:

S. Gratae fuerunt mihi literae tuae et libenter eas
legi et non dubito quin animus vester sit
integer et intentio vestra bona, et scio tam ad
tranquillitatem et pacem Ecclesiarum respicere
sed haud scio an tam istis consiliis vestris pras-
bilis. Nam certum est Caesarem velle om-
nia papistica restituta, Ego enim vidi Caesa-
rearum literarum copiam in quibus omnia ~~fieri~~ ser-
vari severe praecipit, non aliquot sed omnes
articulos ipsius Interim. Ideo frustra alia
finguntur, nisi quod sanior et purior doctri-
na Christi istis consiliis et remediis apud multos
obscurabitur, et post nostra tempora penitus
extinguetur.

Caesaris filium haereditarium Caesarem ad German-
venisse nondum scimus, fama tamen est constan-

sed varia. Etsi venisset, tamen eius coronatio
non impediet magnam illam Ecclesiae persecu-
tionem futuram et inauditam sanguinis effu-
sionem in his terris. Caesar enim mox omnia
perficiet quae volet, nolint velint Principes, quos
non tanti facit. Coguntur enim huius filium
suum adorare et salutare Regem Romanorum
et contra nos mittere quidem. His bene vale
Magdeburgae XI. Februarij 1549.

N. Amsdorffius.

8 Et in summa tu novisti quod in adiaphoris ceden-
dum est infirmis ne offendantur et scandali-
zentur. Coram illis non utemur nostra
libertate Christiana. Sed duris cervicis hominibus
Pharisaeis, Pontificibus, Regibus, vel ipsi Caesari
qui illa praecipiunt et mandant, cedere, plane est
impium, sed eis etiam cum periculo vitae est
resistendum. Sic sentimus nos indocti, sic
iudicamus nos nihil intelligentes, et nihil

curamus vestra persuasibilia humanae sapientiae verba, quibus Christi doctrina magis obscuratur quam illustratur. Ut vidimus in articulo Iustificationis, quanto magis est explicatus tanto magis est obscuratus. Sitis igitur molles et ductiles, nos cum Christo et Paulo manebimus duri et stoici contra phariseos et principes Iudaeorum, quibus ad horam non cesserunt, ut Evangelij veritas victoretur.

Tu ipse cogita mi Georgi, An consilijs vestris Caesarem placare potueritis, qui totum Interim servari et totum papatum restitui mandat et praecipit. Etsi dolo et astutia aliquid admiseritis, ut Caesar putet vos restituisse omnia. An hoc sit ingenue et aperte confiteri Christum.

Missa vestra, etiamsi Communione addita, fit spectaculum, hoc est, cultus dei externus audiendus et videndus. Nam cum tempore Communio populi omittetur, imo Missa ipsa propter Communionem populi non est ~~institutio~~ instituta, et semper sine communione populi est celebrata, Rarissime vero post finem Missae populus est communicatus in magnis festivitatibus. Ideo per communionem vestra Missa excusari non potest. Idem sentio de esu carnium, quod prohibitio Caesaris nullo pacto potest esse civilis, cum ipse eam certis ferijs tanquam Religionem servandam praecipiat. Id enim vult papa, id vult Rex, id voluit Episcopi, et exemplo vestro omnes daemoniorum doctrinas in suis Ecclesijs restaurabunt. An hoc sine scandalo et offensione conscientiarum fieri poterit, ~~[illegible]~~ vosipsi indicate.